UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Syntagma Ivris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

4 de Casu fortuito, & euentu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-97739

Visual Library

eius impetu concitatis animis, *l. si in rixa, ad l. Corne. de sicar. in P. l. aut facta, §. qualitate, de pœn. in P.* Commouet iram, & quodammodo delictum admissum excusat iniuria illata, & iustus dolor: vt si quis vxorem, *l. Gracchus, ad l. Iul. de adult. C.* in adulterio repertam necauerit, vel pater filiam, *Pap. l. nec in ea lege, 21. & l. quod ait lex, 22. cum §. seq. eod. titu. in P. lib. 48. tit. 5.* Animus perturbatus & commotus nec se c. hibere potest, nec quo loco vult, vt ait Cicero, *3. Tusc.* Et vt ait Philemon:

μαινόμεθα πάντες ὁπόταν ὀργιζώμεθα.

id est,

*Insanimus omnes quando irascimur.*

Et Iason apud Euripidem, *in Medea, actu 3. in princip.*

οὐκ νῦν κεκλεῖδον πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις,
τεθυμῶσθαι ὀργῇ, ὡς ἀμήχανον κακόν.

id est,

*Nunc non primum vidi, sed sæpius,*
*Iram asperam, quam sit verum malum.*

Ira, inquit D. Ambrosius, *de sancto Iosepho. & in cap. ira, 11. q. 3.* etiam innocentes ad crimen adducit: quia dum iusto amplius irascimur, & volumus aliena coercere peccata, grauiora committimus. Et lex monet ideo iudices, ne corripiantur ira, *l. obseruandum, de offic. præsid. P. can. summopere, 11. q. 3.* nam ira perturbat maxime iu-
7 dicium animi. ¶ Vt † exemplo Theodosii constat: quo ipsemet in posterum cautior factus, postquam furoris illati in Thessalonicenses pœnituit, statuit, vt sententiæ principum super animaduersione prolatæ, in diem trigesimum ab exsecutore differentur, *c.*
8 *cum apud Thessalonicen. 11. q. 3.* ¶ Demosthenes, † *con. Timocra* τῶν ὀργιζομένων δεῖ, inquit, ὀξίως τι κακὸν τὸν κεκλοπακότα ἐργάζεσθαι. id est, *iratorum est, eum a quo molestiis affecti sunt, subito impetu vlciscì.*

πολλὰ, Σωσίας ἐν τῷ πολλαχοῦ, δι' ἀπειλὰ, ποιεῖ δὲ μάτην ἔπη
θυμῷ κεκινηκότα, ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν
εἰς γένηται, φεῦ δ' τ' ἀπειλήματα.

id est,

*Multa sunt minæ, multaq; inania verba*
*Per iracundiam effutiuntur: sed mente*
*In integrum restituta commutationes euanescunt.*

9 ¶ Impetus † suos valde animi oculos perstringentes, habet etiam amor, siue is bonus sit, siue malus, cogitque quodammodo meatem ea facere, quæ alioquin quis non esset admissurus. Amicos autem bonos scilicet appellare debemus, vt ait Paulus, *l. latæ culpæ. 223. §. 1. de verbor. signif. in P.* non leui notitia coniunctos, sed quibus fuerint iura cum patre famil. honestis familiaritatis quæsita rationibus: In malo voluptas præsens mouet impetu suo animum, vt in belluis, quæ nihil, vt ait Cicero, *in Offic.* sentiunt, nisi voluptatem, ad quam feruntur toto impetu. Et is etiam, *idem, de Orato.* desiuit libidinem esse impetum quendam animi non rectum. Cælius Aurelianus ex Platone duplicem furiosorum speciem constituens in vna eum collocauit, qui ἐρωτικὸς est, id est, amatorius. Eoque pertinet fabula Alexandri Aphrodisei, qua proditum est Eryanim fariam a cupidine adamatam, quod videlicet amantes furiosis quibusdam affectibus agitentur. Amoris furore nihil esse vehementius dicebat Iustinianus, *§. illud quoque, quib. mod. natur. effic. legi. in Anth.* & perfectæ philosophiæ eum cohibere: hocque amore correptos, bacchãtes veluti furore vini affectos dixit, *§. erat, de successio. quæ fiebant per bono. vind.* Domat enim omnia, vt his verbis scribit Hesiodus, *in Theog.*

ἣ δ' ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι
Λυσιμελής, πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων,
Δάμνησιν ἐν στήθεσι νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.

*Atque amor, qui pulcerr. mus inter immortales Deos,*
*Soluens curas & omnium Deorum, & omnium hominum.*
*Domat in pectoribus animum & prudens consilium.*

Paulus etiam Ægineta eos, qui hoc amore detinentur, perinde a insanos pharmacis curat, eisque obliuionem vel nouam solicitudinem ratione victus inducit, *Paul. Ægineta, lib. 3.* Iracundis si parcendum est aliqua ex parte, & mente captis certe, & amantibus: iracundos enim esse, qui ament, docuit Lucianus, *in dialog. Maie. & Mercurii.* Non dubitauit Timagoras iussu Melotis, quẽ amabat valde, ex altissimo saxo, se præcipitem dare, vt ait Pausanias, *lib. 1. Attica.* Fiunt plura per sordes pecuniarum, plura amicorum caussa aliena a iustitia, quę certe alioquin non fierent, si extra impetum amicitiæ adhiberetur rationis consilium. Quod viri probi adhibere & sapientes solent. Sic cũ Periclem amicus quispiam rogaret, vt in caussa quadam sua gratia deieraret: respondit,
10 δεῖ με συμπεῖθειν: ἀλλὰ μὴ χεῖ βωμῶν, πεῖ δὲ σωφρόνων. ¶ Quia † in amicitia vera leges quidem sunt positæ, non oportere vltra id, quod fas est opitulari amicis, neque eorum gratia male agendum. Sed quis eas studiose possit obseruare quæritur, dum amicitiæ vis vrget. Vt non immerito dubitauerit Chilo eximiæ sapientiæ vir, quonam vsque debuerit contra legem, contraque ius pro amico progredi, eaque res in fine quoque vitæ ipso animum eius auxit. Eaque quæstio a philosophis posteris examinata, vt late ostendit Gellius, *lib. 1. cap. 3.* apud quem videto. Disseruit & de ea copiose Cicero, *in Lelio, seu de amicitia.* Et non tantum timore, cupiditate, odiove: sed etiam amicitia humanum peruertitur iudicium, *ca. quatuor modis cum 2. can. seq. 11. q. 3.* Et amicitiæ affectio solet ad blasphemias, seu mala in hostes amicorum concitare, *ca. repellantur, ca. 7. de accusat. lib. 5. Decret. tit. 1. can. accusatores, & ca. 1. 2. 3. & fere tota 3. q. 5.* ideo & reddit testem suspectum de fide, *l. 4. de test. in P.* Eoque referendæ affinitates, proximitates sanguinis, quæ quo gradu iunt sibi proximiores, eo sunt vehementiores, *l. isti quidem, quod met. cau. in P.* Proinde si ex ipso impetu amoris subito quid commissum est, temperanda pœna est, *l. verum, 4. de furt. P. l. 2. de recepta. lib. 47. P. titu. 16. l. 4. §. fin. de re mili. lib. 49. P. titu. 16. l. 3. §. si eum, de liber. hom. exhib. P.* Attamen si quid pro amicis extra impetum male patratum sit, non est amicitiæ vlla excusatio, *l. etsi amicis, ad leg. Iul. de adulter. in P.* veluti si tempus deliberandi adfuerit, si adulterium vel stuprum amoris turpis illecebris factum, quod non nisi consulto inferri, & sine colloquio præcedente vix potest, *l. qui domum, & l. etsi amicis, ad leg. Iul. de adult. in P.*

## De Casu fortuito, & Euentu.

### Cap. 4.

1 *Euentus in criminibus quid.*
2 *Casu commissa crimina vt puniantur. Et 3.*
*Vrbes refugii Hebræis, eod.*

QVod † nascitur ex eo quod delinquitur, euentus dicitur, vel ex 1
voluntate, vt diximus, vel præter voluntatem, vel contra voluntatẽ. Sine voluntate furiosus necare potest, & infans, ideo sine pœna, *l. infans, ad l. Corn. de sica. in P. l. pen. ad l. Pomp. de parric. in P. l. diuus, de offi. præsid. in P.* Præter voluntatẽ etiam si ex intẽtione alicuius non illiciti actus, delictum oriatur, veluti vt si pila ludens alium occiderit, *vt in l. item Mela, ad l. Aquil.* In quo ad pœnam imponendam inspicimus, an quis in culpa sit, *d. l. item Mela, & l. si putator, ad le. Aquil. P.* an dederit operam rei licitæ, *eod. tit. de homicid. casi. & volunt. & dicemus postea, Deo fauente, in crimine homicidii.* Solius euẽtus nulla, vel leuior est pœna, *l. aut facta §. euentus, vbi versus ex 23. Ilia Hom. de pœ. in P.* veluti exsiliũ voluntarium. Erãt & ea de caussa apud Hebręos ciuitates refugii, *Deut. 19. vt infra latius in homicidio, Deo fauente.* Quod sine proposito fit, fortuitũ erit, *l. qui ædes, de incen. rui. & naufra. in P.* Et casus in euentu erit, vt ait Aristot. *lib. 3. Ethic. cap. 7.* Hicque confundunt Iurisconsulti casum & fortuitum, de quibus alias. Multum autem refert in maioribus delictis, an quid consulto admittatur, an casu & fortuito: ibi enim venia locum non habet: in his contra, *l. absentem, 5 §. fin. de pœn. in P. l. 1. & l. eum, ad l. Cornel. de sicar. C. l. 2. §. fina. de termi. mot.* Et casus fortuitus nemini impurandus, *l. Iulianus, qui & a quib. manumi. lube. non fiant.* quia nullum hominis consilium potest præuidere, *l. 2. §. si eo tempore, de admin. rer. ad ciuit. perti. in P. ca. fin. in fine. de homici.* Tot enim sunt, quot numerari nequeant, *l. penul. de vsufru. C. l. fin. de præscript. 30. vel 40. ann. C. l. 2. §. 2. & 3. si quis caut. in P.*

*Sic tanta homines rerum inconstantia versat,*

vt ait Ouid. 13. *Metam.*

Et Cleon apud Thucydidem, *in 3.* dicebat, id dignum esse venia, quod citra voluntatem fit. Idemque Thucydides, *in 4.* arbitratur omnia licere bello, & necessitate aliqua circumuentis: & veniam etiam esse apud Deum: etenim delictis non voluntariis, refugium esse aras (vt & nos in sacrilegio, dum de asylo agimus.) Scelusque eorum vocari, qui nulla necessitate sunt mali: non autem eorum qui propter aduersa aliquid audent. ¶ Verumtamen † si quis voluerit delinquere, verum euenit, vt plus quam volue- 2
rit, peccarit, distinguendum est cum Bartolo, *in l. diuus, ad leg. Corn. de sicar.* an plus deliquerit in specie delicti sibi proposita, an in al ã transierit. Et si in eadẽ specie, aut deliquit circa res, aut circa personas. Si circa res, aut delictũ, quod exlege proposuerat, tẽdebat ad id quod cõmissum est: tunc inspicitur delictũ seu euentus, non animus, vt qui vitu fecerit non cogitans de homicidio, quod

facile in vi illata interuenit, punitur ac si occidere voluisset, *l. quoniam, C. ad leg. Iul. de vi.* Et qui decreuit tantum incēdere domum vnam, & pro combustis vicinis tenetur: hoc enim natura incendii habet, vt ad vicinia transeat, *l. 1. §. incendio, de incendio rui. & naufr.* Si autem delictum non tendebat ad id, quod euenit, aut plus delinquitur circa eandem rem, & tunc inspicitur euentus, *l. vulgaris est quæstio, §. si quis, de furt.* vt si quis consecratum vas furetur, putans esse profanum, punitur pro sacrilegio: quod si circa diuersas res plus delinquatur, inspicitur animus, non euentus. Si autem circa personas plus delinquatur, inspiciendum an ex proposito, vel sine eo contingat delictum: si ex proposito, pœna quidem spiritualis, vt excōmunicatio, & similes, ad cogitationem magis pertinent, *glo. in l. si ignorans, loca.* In temporali autem, aut plus delinquitur circa eandem personam, & tunc inspicitur euentus, *l. eum qui nocentem. §. pen. & §. pen. de iniur. in P.* aut plus illud circa alias personas per accessiones & consequentiam, si aliam personam & quam offendere volebat, percutiat, vel lædat, pro vtraq; tenetur: & euentus, non animus inspicitur, *l. scientiam. §. qui cum aliter, ad l. Aquil.* Si autem realiter non lædat aliam personam, sed tantum per consequentiam, animus inspicietur, non euentus, *l. eum qui nocentem. §. pen. de iniur.* Quod si non ex proposito delinquatur, illud plus ad animum, non ad euentum referendum, *l. apud Labeonem, §. si quis virgines, eod.* Ceterum si illud plus tendit in aliam speciem delicti, quam quod facere quis decreuerat, si vtrumque crimen habet eundem finem, euentus, non animus inspicitur, *l. si. de crim. expi. hered. C. c. si. de homicid. in 6.* sin minus pro proposito, non pro euentu tenetur, *l. vtrum, de furt. in P. l. qui iniuriæ, eodem titu.*

## De personis considerandis in delictis. Cap. 5.

1 *Personarum acceptio, an sit habenda in iudicio, explicata quæstio; & 2.*
2 *Proportio geometrica, non arithmetica seruanda in pœnis, & quæ sit vtraque.*
3 *Vitia personarum in dignitate positarum maiori pœna quare digna sint.*
4 *Paupertas quando partim a crimine excusat, & quando grauius punitur, & 5.*
5 *Punitur ignobilis grauius nobili.*
6 *Ætatis in delictis distinctio adhibenda, & 7. & 8.*
7 *Puer punitus coturnicibus oculos eruens.*
8 *Puerorum delicta non punienda.*
9 *Personæ læsæ in criminibus considerandæ.*
10 *Mulierum delicta quælibet argentea multa vbi redemta.*

1 GRauissima quæstio illa, num in iudiciis ratio personarum habenda sit. Siquidem iura sunt, quæ vtramque partem fouent, quædam enim diuina, *Leuit. 19. Deuter. 1. 2. Paralip. 19. C. Iacob. 2.* & humana, *ca. in iudiciis, cap. 12. de regu. iur. in 6. conc. Laod. in c. nouit. de iudi. c. statutum, §. insuper, de rescript. in 6.* negant esse acceptionem faciendam personarum: quædam non tantum suadent, sed & considerari iubent, *Callistr. in l. 2. de termi. mo. lib. 47. P. titu. 21. Paul. l. prædius. 4. §. fin. de incen. rui. & naufra. eod. lib. tit. 9. can. qui contra, 24. q. 1. c. Modest. l. qui eadem. 16. ad l. Corn. de sicar. lib. 48. P. tit. 8.* & deliquentium, & eorum qui læduntur, *l. aut fucta. §. persona, de pœn. in P. pulere in l. famosi, ad l. Iul. maiest. in P. l. pen. ad l. Cor. de sicar. P. l. prætor ait. §. præterea, cum §§. seq. de iniur. l. atrocem, C. eod. §. atrox, eod. tit. apud Iustin. ca. 1. 40. distin. can. cum beatus, 45. dist. c. nobilissimus, 97. dist. ca. qui contra pacem, 24. q. 1. cap. sane, in 2. de electio. c. 2. de offic. deleg. ca. quam periculosum, de sen. excom. l. mortis, 9. §. similiter, & seq. de pœn. in P. l. 1. & 3. de priuil. veter. lib. 49. P. titu. 18. cap. 1. de calum.* Proinde quomodo hæc explicanda sunt, paucis meo sensu explicabo, Deo volente. Iura, quæ volunt non accipiendam esse personam, intelligi debent, non esse detrahendum iustitiæ in fauorem vel odium personarum, nec parcendum diuiti, vel in dignitate posito, quod talis sit: vel pauperem ob id non opprimendum, neque illum iusta petentem ab aduersario respuendum, vel contemnendum: vtrosque audiendos, omnes puniendos, omnes iudicandos secundum legum præscripta. Neque aduersari arbitramur, quod iubeant personarum qualitates inspici, non quidem ad corrumpendum iudicium, prout iura aduersantia cauent, sed ad illud instruendum & temperandum: aliud enim est personas considerare ad subuertendum iudicium, aliud easdem obseruare, vt iustum fiat iudicium. Sic reatus grauior quidem omnem dignitatem excludit, *l. 1. C. vbi senat. vel clar. cum simil. ibi nota. l. raptores, C. de episc. & cler.* nihil omnes & dignitas in pœnæ considerationem quoque venire debet, non vt tollatur reatum, vel vt a pœna eximat, sed vt eam legitimam & aptam deducto iudex exigat. Non enim omnibus personis, etsi eodem morbo laborēt, eadem omnino medicina exhibetur, sed pro corporis ægri temperamento iusta & salubris dicitur, quę per conuenientia miscetur, & propinatur. Sic verum est quod ait Demosthenes, *con. Midium,* delicta sine discrimine personarum diuitis & pauperis pari seueritate vindicanda. ¶ Ceterum † par seueritas non consistit in æqualitate Arithmetica, veluti vt omnes, qui homicidium fecerint, capite priuentur: sed in æqualitate Geometrica, vt secundum id, quod iustum videbitur, puniantur æquali seueritate. Sicut enim Geometræ proportionem metiuntur ex æqualitate vel inæqualitate figurarum, non inspecta quantitate, vt Arithmetici, sed qualitate: sic Iurisconsulti in distributione quod cuiusque est, *vide Aristot. de hac proportion. iusta geometrica, lib. 1. mag. Morae. 34. & 5. Ethic. c. 3. & 4.* & pœnarum, secundum qualitatem delinquentium, & delicti pœnas statuunt. Cum enim ratione personarum, & circumstantiarum qualitatum earundem, minus vel magis peccetur, non potest esse legitima pœna, nisi eiusdem quamuis criminis, ratione earundem, vel minor vel maior statuatur. Exemplis probatio apparebit, quędam sunt delicta pagano nulla, vel leuia, quæ militi grauiora: vt si is artem ludicram exerceat, *Marcell. l. quædam delicta, 14. de pœn. l. 2. de re milit.* ¶ Qui † in exemplum aliorum præpositi sunt, qui sedent in conspicuis locis & summis, maiori aliorum pernicie & sui labuntur & peccant, & pœna exemplari digni sunt, *l. 2. & ibi glos. ad verb. ceteris, de petit. bono. subl. lib. 10. C.*

*Celsæ grauiore casu*
*Decidunt turres. Horat. lib. 2. car. ode 10.*

Et, *Iuuenal. Satyr. 8.*

*Omne animi vitium tanto conspectius in se*
*Crimen habet, quanto maior, qui peccat habetur.*

*Scilicet,* Claudia. *in vulgus manant exempla regentum,*
*Vtq; ducum lituos, sic mores, castra sequuntur.*

Et Demosthenes, *statim in princip. 2. oratio. con. Aristogito.* omnes legum violatores coercendos quidem esse docet, sed maxime qui magistratu funguntur, & in repub. versantur. δεῖ γὰρ τοῖς τοιούτοις καὶ βλάβαις ἐκ τῶν πόνων ἐν ὅσοι φαῦλοι: καὶ τὰ μέγιστα πεφλιν ὀρθῶν, ἐὰν ὦσιν ὀπωσοῦν, καὶ θέλωσιν ἐμμένειν τοῖς νόμοις, id est, *per hos enim & maximas clades respubl. accipit, si mali sint, & vicissim iuuatur plurimū, si sint boni viri, & legum studiosi. Horribile iudicium fiet in eos, qui præsunt, Sapien. 6.* Et, *potentes tormenta acerba patientur, Sapien. 6.* Is enim, cui maior dignitas concessa est, si ea abutatur, grauius quā plebeius coercendus, *l. presbyter, de episc. & cler. C. c. præcipue, 11. q. 3.* & alis pœnis, *l. limites, C. de quæstio.* Sunt propria etiam dignitatum crimina, & quælibet personarum qualitas habere quoddam peculiare crimen præter communia potest. Peccata regum alia, alia populi. Atque aliter liberi, aliter serui puniendi sunt, *l. inseruorum, & l. capitalium, §. 1. & fin. de pœn. in P.* Imo & cum ad dignitatē personæ pœnæ referuntur, non tā habetur ratio delinquentium, quantū & aliorum innocentiū, qui in eadem dignitate sunt, vel dignitate reguntur. Sic clerici secundū ordinem, quē tenent, vel minorē vel maiorem, nō æque puniuntur, *c. contumaces, 50. distin. ca. ante omnia, 35. dist. c. si qui clericorum, 11. q. 1. c. fraternitatis, 12. q. 1. c. quisquis, 2. q. 8.* Nec incognitum est, sæpe a viris illustri familia ortis, delictis impiis supplicium clam vel in carcere sumtum, ne eius generis clari viri notam aliquam incurrerent. ¶ Paupertas † interdum pro parte crimina excusat, vt si famis tempore quis e- 4
dulia ad leuandam famem rapiat, *c. 3. & ibi gl. de furt. ca. fraternitatis, 12. q. 2. c. discipulos, de consec. dist. 5. ca. quod non est licitum, de regiur.* Si necessitas nimia non vrgeat.

*Magnum pauperies opprobrium*
*Iubet quiduis & facere, & pati,*
*Virtutisq; viam deserit arduæ.*

vt ait Horatius, *lib. 3. ode 24.*

¶ Et † aliquando omnino adimit pœnam, si nimium vrgeat, § *vt in c. discipulos, de consec. dist. 3. Matth. 12. Lucæ 6. Mar. 2. & 1. Reg. 21. c. dilectissimus, 12. q. 1.* At quando necessitas nulla impellit, interdum grauius supplicium paupertas patitur, dum quis luit corporali pœna ea, quod non potest diluere, *l. 1. § fina. de pœn. in P. l. quicunque, de seru fug. C. l. fin. de sepul. viol. C. l. quiades, 9. de incen. rui. & nau. lib. 47. P. tit. 9.* quando debitum contrahitur ex multa criminali: alioquin enim ciuilis solet ob inopiam potius remitti,

quam